

RELATIO ROMANAE CVRIAE FORENSIS DISCVRSVS PRIMVS

Circa Proemialia, super significatione scilicet vocabuli *Curia*; Et ex quibus Romana Curia constituatur; Et de alijs generalitatibus, ad materiam eiusdem Curiae & Curialium.

SVMMARIVM

DISC. I.

- 1 **A**ntiqua curia Romana duplex erat, & qualis.
- 2 De derivatione huius vocabuli curia.
- 3 Quod vocabulum curia sit peculiare curia Romanae non vsum in alijs antiquis aulis Regijs.
- 4 Moderna curia Romana Ecclesiastica est maior antiqua temporali, & quare.
- 5 Curia Romana dicitur ille, locus, in quo Papa residet.
- 6 Episcopus residere potest, atque tribunal habere in quacumque parte diocesis.
- 7 De pluribus personis quas Papa gerit, seu representat.
- 8 Etiam in ijs quae concernunt ditionem temporalem Ecclesiasticam, vel Episcopatum Romanum, dicitur curia Papa, atque officiales dicuntur Curiales.
- 9 In ijs in quibus Papa disponit vel statuit tanquam Princeps temporalis, vel tanquam Episcopus Urbis non subintelligitur potestas Papalis, nisi dicatur.
- 10 Curia Romana maiora tractat negotia quam quaecumque alia Orbis curia, & de ratione.
- 11 Nomine curialium qui nam veniant.
- 13 De differentia inter Curiam Romanam, & alias circa Tribunalia, & magistratus.
- 24 De pluribus Romanae curiae speciebus, & de qua specie in praesenti agatur.
- 15 De ordine qui teneatur in hac relatione.



Intiqua Romana Curia, quae totius penè orbis in temporalibus, domina, triumphatrix, atque regulatrix erat, ex duplici specie seu loco constituebatur; Vno scilicet, in quo sacerdotes, res diuinas; Altero verò, in quo Senatus, ac populus, alijque Magistratus, publicas res humanas tractabant; Isto Curiae vocabulo, derivationem habente à curis publicis, quae in locis praefatis, apud Deos, & apud homines, seu pro celestibus ac terrestribus negotijs, pro salute & conseruatione Reipublicae gerebantur; Ideoque Curia ista, templum sanctitatis, amplitudinis, mentis, consilij publici, caput Orbis, ara sociorum, & portus omnium gentium à Cicerone in oratione pro Milone appellatur.

Romanae autem Reipublicae, vel Imperij, istud Curiae vocabulum esse peculiare, atque ab ea modernorum Principum sedes residetiales illud mutuasse, nos docet illa quae omniū historiarū, antiquitate, ac fide mater est, ac magistra, sacra pagina veteris testamenti, dum de quā plurimis Regum ac Principum aulis agendo, in libris scilicet *Regum* de Regibus David & Salomone, alijsque Regibus Iuda vel Israel; Ac etiam in exodo agendo de Regibus Aegypti, quando Abram illam aulam ingressus est; Et quando Ioseph supremam annonariam administrationem habuit; Et quando Moyses tot signa in virga dedit, pro dimissione populi;

li; Siuè agendo de Regibus Affiriorum, & Medcorum in lib. *Esfer*, & in lib. *Iuditha* Aut occasione agendi de Daniele; Siue lib. 1. *Macabeorum*, mentionem habendo de Alexandro magno Macedone, alijque ibi enunciatis Regibus, ac in alijs locis istud Curia vocabulum forte adhibitum non legitur.

Agendo verò de Republica Romanorum, eorumque potentia, resque multas bene gestas enarrando, in eodem lib. 1. *Macab.*, occasione duplicis foederis inter eandem Rempublicam, ac Duces Machabeos, Iudam, & Ionatham, huius vocabuli mentio habetur, quod scilicet eorum respectiue Oratores Romam missi, introiuerunt Curiam.

Quamuis autem, illa in temporalibus potentissima, prophana Curia Romana, post Imperij translationem in Græciam, totque barbarorum incursiones euenerit; Attamen (vt S. Leo Papa admonet), tanquam sper speciem phœnicis, ex eiusdem Romanæ Ciuitatis cineribus, alia in spiritualibus, maioris potentia, maiorisque existimationis, exorta est Romana Curia Christianæ Reipublicæ, eiusque capitis Summi Pontificis Domini nostri Iesu Christi vnici, ac supremi Vicarij, habentis totum mundum pro territorio, (totumque humanum genus in spiritualibus, ac in temporalibus habitu subiectum; Adeo vt rectè adaptetur propheta Osee, super longè maiori gloria modernioris templi Hierosolymitani quod materialiter, inferius, magisque depressum erat, quam antiquioris per Regem Salomonem constructi, cuius absque dubio longè sumptuosior structura materialis erat, in sensu scilicet allegorico, seu mystico, quod licet antiqua Romana Curia belligera, & triumphatrix, in tēporalibus longè maior esset; Attamen moderna Christiana, seu cælestis, spiritualiter longè maioris potentia, & gloria censenda sit.

De ista verò Curia Romana Papæ, in presenti agitur, quæ, siue in ipsa materiali Romana Ciuitate, siue in alia qualibet mundi parte sit, dum ibi Papa resi-

det, suamque habet sedem; semper Romana dicitur; Talis etenim, dicitur non ab huius Ciuitatis præcisa localitate, sed ab origine, quod scilicet in ea B. Petrus, cathedram, vel sedem constituit, ab Antiochena Ciuitate illam transferendo, tanquam in loco, in quo totius Orbis tēporalis dominatio sedem habebat, vt ibi hoc maius Imperium spirituale oriretur, atque (vt idem S. Leo Papa admonet), ea Ciuitas, quæ omnium errorum, ac gentilium superstitionum mater, ac metropolis erat, pietatis, veræque Religionis, mater, ac metropolis efficeretur; Cumque non ipsius Ciuitatis materialis, sed vniuersæ ecclesiæ Catholicæ, ac Papæ curia sit, idcirco non materialiter, sed formaliter Curia Romana dicitur omnis locus in quo Papa resideat, atque de ea leges, quæ de Curia Romana agunt, intelligendæ veniunt. A

Quemadmodum etenim, in singulis Episcopatibus habemus, vt denominationem acceperint ab ea Ciuitate, in qua erectio Cathedralis facta est ac sedes Episcopalis initio constituta, adeo vt Episcopo in alio diocesis quantumuis remoto loco residentiam, & Curiam seu Tribunal habente (vt ei licitum esse receptum est cum declarationibus, quæ in proprijs sedibus recensentur B); Non per hoc tamen Ecclesiæ titulus vel denominatio immutatur C. Ita si Pontifex, qui vniuersum orbem habet pro diæcesi, vel territorio, in quacumque orbis parte resideat, eius Curia primæuū vocabulum non immutatur, indeque vulgare prodijt dicterium, quod vbi Papa, ibi Roma.

Cum autem Papa, cuius Imperij Aula, seu Curia ista dicitur, quadruplicem pluries enunciata gerat seu repræsentet personam; Vnam scilicet iam enunciatam Christi Vicarij generalis, & Episcopi Ecclesiæ vniuersalis; Alteram Patriarchæ occidentis; Tertiam Episcopi particularis Romanæ Ciuitatis, quæ particularem diocesim restrictam habet, attento moderno statu, actualiter intra ambitum quadraginta milliarium, qui sub districtus vocabulo explicari solet, habitualiter

- A. lib. 12. de benef. disc. 3. & alibi ibid.
B. lib. 3. de iurisd. disc. 22. & seqq. & lib. 14. in annot. ad S. C. T. & alibi.
C. disc. 24. de iurisd. & disc. 7. de præminent.

ter autem, immò ad certos effectus, etiã actualiter, intra ambitum centum milliariū, vt alibi iuxta varias contingencias aduertitur E; Et quartam demum Imperatoris, vel Principis tēporalis Urbis, illiusque Italiæ temporalis ditionis, quæ sub vtriusque mediati, ac immediati Status ecclesiastici nomine explicatur; Ac etiam Beneuentanæ ciuitatis intra viscera Regni Neapolitani, quod de dicto Statu mediato, ratione directi domini dicitur; Nec non Auenionensis Ciuitatis, & Venaisini comitatus in Gallia.

Hinc proinde, quamuis Romana Curia illa propriè dicatur, quæ primæ personæ congruit; Attamen istas quoque alias Curias inferiores complectitur, ob diuersas personas formales quæ in vna eademque persona materiali repræsentantur; Ideoque etiam in ijs, quæ particularem Urbis Episcopatum, vel temporalem ditionem cōcernunt, Curia Romana dicitur, atque officiales vel ministri, quorum munus circa istas inferiores vel subalternas Curias tantum versatur, absq; aliqua participatione regiminis, vel administrationis Curie maioris, ac vniuersalis, adhuc Papæ Curiales dicantur, atq; leges, quæ de Curialibus agunt, præsertim super beneficiorum reservationibus vel eorumdē Curialium priuilegijs, & fauoribus, inter quos illum frequentius praxis docet, qui ex Eugeniæ Constitutione circa fori competentiam resultat, vt istis quoque Curialibus conueniant.

Potissimè verò quia, licet dictæ personæ, vel respectiue Curia, inter se diuersæ sint, diuersamque speciem, seu naturam habeant, adeo vt in plerisque, in quibus, vt Princeps temporalis, vel vt Episcopus particularis statuit, Pontificiam auctoritatem interposuisse non censeatur, vt in suis sedibus, iuxta casuum contingencias pluries aduertitur F; Adhuc tamen, frequens est earundem mixtura, vnde propterea vt in singulorum iudicium ac Tribunalium sedibus particularibus inferius aduertitur, pleraq; sunt Tri-

bunalia, quæ dictæ triplicis Curie negotia peragunt; Vniuersalis scilicet Pontificiæ; Particularis, ac subalternæ etiam ecclesiasticæ Episcopalis; Ac etiam prophana, seu temporalis ditionis secularis; Solumque ipsorum negotiorum qualitas, vel natura, hanc distinctionem docet.

Exinde verò manat, vt quoad forensia, seu ciuilia negotia, de quibus, non autem de polyticijs, vel militaribus, aut circimonialibus, vel aulicis, meum est institutum, meaque sunt partes agendi, (vt fabrilis tantum agant fabri, neque sutor ultra crepidam iudicet); Ista Romana Curia omnium aliarum forensium Curiarum, mater, ac maior, totius christiani Orbis merito dicenda est, longèquè maiora incomparabiliter peragit, ac decidit forensia negotia (cum longè tamen, minori ioco, ac sonitu vel apparatu, longèquè breviori tempore) quàm singula Tribunalia Urbis tractent, cum totius catholici Orbis causas ecclesiasticas vel spirituales vniuersaliter agat; Ac etiã eiusdem Orbis causas temporales, vel prophanas, quæ ratione ecclesiasticæ qualitatis personarum, ab omnibus Episcopalis, & ecclesiasticis Curijs per appellationem ad eam trahuntur; Nec non causas fori Episcopalis ipsius Urbis, eiusque districtus; Ac etiam causas laicales vel tēporales vniuersi Italiæ, & Galliæ, ecclesiastici Status temporalis, qui magnum constituit principatum, cum hæc mixtura in alia Orbis Curia vel Tribunali non sit verificabilis.

Curialium autem nomine, veniunt omnes qui, opera, consilio, labore, aliove munere, Papæ interserviunt, in Ecclesiæ vniuersalis, ac particularis respectiue, vel temporalis domini regimine, ac administratione, sicq; ex pluribus generibus, vel ordinibus Curiales constituuntur; Primus etenim ordo, est Cardinalium; Secundus Prælatorum; Tertius aliorum iudicum, ac magistratuum, qui Prælatum non fulgeant; Quartus Aduocatorum; Quintus Procuratorum; Sextus sollicitatorum fo-

P. 2. Relatio A 2 ri

E. sub tit. de præminent. disc. 1 & lib. 14. in Miscellan. eccl. disc. 1. & tit. de Regular. disc. 32.

F. sub tit. de dote disc. 22. & 143 & pluries sub tit. de iudic. & infra in hac relatione. sepius.

ri iudicialis; Septimus sollicitatorum negotiorum Datarie, & Cancellarie, qui Expeditores dicuntur; Octavus eorum qui negotia gratuita, vel extrajudicialia peragunt, siue etiã iudicialiũ negotiorũ aliquam habentes curam, apud Causidicos assistunt, & qui Agentes vulgò dicuntur; Nonus Notariorum, aliorumque scriptorum; Et decimus Aulicorum, qui Papæ, & Cardinalibus, ac Prælatis in aula assistunt ac inferuiant, et qui vulgò, ad differentiam aliorum, Corteggiani dicuntur. G. de quibus omnibus ac singulorũ diuersis speciebus infra sub proprijs, ac particularibus rubricis distinctè agitur.

Ea verò differentia est inter Curiam
12 Romanam, & alias sæcularium Principum Curias, quod istarum plures, ex ipso Principe tanquam capite, & ex Senatibus, alijsque Magistratibus, tanquã mēbris, efformari dicitur; principatus pro solo actu vel exercitio potestatis, cuius habitus penes vniuersum populum, seu ipsam Rempublicam esse dicitur, adeòt omnes Magistratus, ipsam Rempublicam constituere seu repræsentare dicantur; Atque, cum debita proportione, eque concurrant ad ipsius Reipublicæ mysticum corpus efformandum, ipso Principe repræsentante caput; Alijs verò reliqua membra.

Nō sic verò est in Curia Romana, que tota constitui dicitur per solum Papam,
13 qui non à populo, vel à Republica, sed à Deo immediatè, in ijs quæ ad Ecclesiæ vniuersalis regimen pertinent, potestatem metitur, Ideoque huius Curie Tribunalibus, & Magistratibus, nomen non congruit membrorum, quæ idem corpus cum capite æquè efforment, sed potius nomen famulorum, vel ministrantium ei, qui vnicus est dominus, ac pater familias, iuxta maiorum, vel minorum munerũ qualitatem, vt in singulorũ Magistratuũ respectiue Rubricis aduertitur; Quod scilicet, cum dominus, vel pater familias omnia per se ipsum administrare non valeat, ministros, & operarios adhibet; Ideoque, malè aliqui nostri practi-

G. De his lib. 12. de benefico. ac etiam in supplementis occasione reservationum Apostolicarum ratione reservationis ex causa curialitatis.

ci supponūt vnicum corpus, cuius sit caput Papa, Cardinales autē mēbra H; Nisi iuxta declarationes de quibus infra disc. 3.

Eadem Curia plures habet species; Alia etenim forensis dicitur, quæ contentiosa vel gratuita negotia per trames iuris, pertractat, ac decedit; Alia polytica, quæ vtriusque ecclesiastici, & prophani principatus negotia cū prudentialibus, vel polyticis regulis potius agit; Tertia ceremonialis, circa ea, quæ cultum diuinum, aliisque sacerdotalia, vel Ecclesiastica munia cōcernunt; Et quarta merè aulica, circa Aulæ temporalis ceremonias, ac ritus,

De prima verò tantum specie, meæ sunt partes, meumque institutum agendi, pro fori, seu rerum forensium notitia, & instructione, & aliquantulum de secunda super ijs quæ pariter praxi forensi ac negotiorum directioni congrua sint; Reliquæ autem, ceremonialium Magistris, siue ecclesiasticorum rituum professoribus, necnon polyticis, & aulicis relinquuntur, vt omnes pro sua respectiue sphaera, ea tractent quæ ad propriam pertinent professionem, neque in alienam se ingerant; Siue (vt iuristæ dicunt) quilibet in propriam, non autem in alienam messem, falcem immittat; Ideoque obiter potius de alijs speciebus quandoque agi contingit.

Ordo autem qui desuper tenetur, est; Primò agendi de Papa, eiusque potestate, & electione; Secundo de eius Consistorio,
15 Ac etiã de Consistorij negotijs, & de Collegio Cardinalium; Tertio de officialibus domesticis, vel palatinis, qui in Palatio Apostolico Papæ assistunt; Quarto de quatuor primarijs officijs cardinalitij nēpè; Vicecancellarij; Camerarij; Poenitentiarij; Et Vicarij; Quintò de illis Cardinalitij Congregationibus, quæ regimen spirituale Ecclesiæ vniuersalis, vel illud Episcopatus Urbis concernunt; Sexto de illis partiter cardinalitij Congregationibus, quæ concernunt regimen principatus temporalis; Septimò de Tribunalibus collegiatis; Octauo de alijs Iudicibus, & Tribunalibus non collegiatis;
No-

H. Vestr. in praxi in princ. oper. & alij moderni.

Nono de Iudicibus particularibus aliquarum Ecclesiarum, vel piorum locorum, aut collegiorum, vel artium; Et decimò de Causidicis, alijsque Curialibus; Atque post hæc, aliquæ generalitates ad rem facientes annectuntur.

Illud autem aduertere placeat quod inter singulas Congregationes, vel Tribunalia, seu iudices, ac alios, nullum adhibetur studium, vel diligentia localitatis, vel maioris, aut minoris præminentie, sed ordo prouenit à casu, vel memoria, quæ prius vnum, quàm alterum suggererit.



De Papa, circa eius potestatem, ac personas, quas gerit.

S V M M A R I V M

- 1 De pluribus personis quas Papa gerit, vel repræsentat.
- 2 Quare de persona patriarchali hodie apud forenses non agatur.
- 3 Ad quid etiam hodie ista persona videatur considerabilis.
- 4 De Papa tanquam Episcopo Urbis, & qualis sit eius districtus, vel diocesis.
- 5 Qualis sit prouincia Papæ.
- 6 De districtu Urbis, antiquo, & moderno.
- 7 A finibus temporalibus non insertur ad spirituales, & e contra.
- 8 Quantum se extendat iurisdictio Cardinalis Vicarij.
- 9 Possunt stare simul, vt inferior præscribat iurisditionem in aliena diocesi.
- 10 Ab assensu præstito iure Ordinarij non insertur ad assensum Apostolicum.
- 11 Urbis Vicarius ligatur Constitutionibus Apostolicis, nō autem decretis Sacrarum Congregationum, & de alijs ad materiam Papæ tanquam Episcopi Urbis.

- 12 Leges factæ per Papam vti Principem, sæculares habentur tanquam leges laicales.
- 13 Quare plures quæstiones in materia eadentes negligantur.
- 14 De causa, cui referri debeat temporale dominium Ecclesiæ, & Papæ.
- 15 Princeps non potest facere aliquem sibi equalem, & scindere coronam.
- 16 Quod in hoc Imperator minorem habeat potestatem, quàm habeant quidam alij Principes.
- 17 Quare Papa habeat plenum dominium, etiam in ijs quæ cōcessa sint per Principes sæculares.
- 18 Quæ sit vera ratio, cui temporale dominium Papæ referri debeat.
- 19 Quod Papa sit Papa, & Rex.
- 20 An Papa facere possit infeudationes, & concessiones abusuas, vel præuentiuas.
- 21 De Bulla Pij V. de non infeudando.
- 22 De ratione ob quam iuramentum dictæ Bullæ Pij V. magis officiat.
- 23 Quod redditus, & prouentus Principatus temporalis diuersam habeant rationem, quàm illi Pontificatus.
- 24 Quare in Statu Ecclesiastico clerici, & personæ ecclesiasticæ gabellis, & oneribus laicalibus subiciantur.
- 25 Canonistæ magis quam theologi potestatem Papæ ampliant.
- 26 De quibus circa potestatem Papæ in præsententi agatur.
- 27 Papa est supra Concilium, & derogat Conciliorum decretis.
- 28 Quare requiratur eorum mentio specialis, & quando.
- 29 Non potest conuocari Concilium sine auctoritate Papæ.
- 30 De Capitulis Conclauis, an obligent Papam, qui cum se ipso non dispenset.
- 31 De gestis in Concilio Constantiensi.
- 32 Quare Concilium apponat manus in depositione Pontificis.
- 33 De Primatu Petri, & unitate Pontificis, & qualis fuerit potestas Pauli.
- 34 An Papa tollere possit officia, beneficia, & dignitates etiam siue causæ cognitione.
- 35 De quæstione, an Papa habeat ius territoriale in toto mundo, tam in spiritualibus, quàm in temporalibus, vel potius sit iurisdictio in personis, & causis, in territorio alieno latè.